Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

victores adornat. quos nominis sui titulo presignatos de terrenis gemitibus elevans in celorum evehit gaudia gloriosos. De quorum numero electionis numero et illos esse non ambigo. qui iorensis heremi opaca lustrantes non modo se dei templum effici meruerunt. verum etiam in multis mentibus spiritus sancti gratie tabernacula paraverunt. id est lupicinus romanusque germanus eius. Igitur Lupicinus ab exordio etatis sue deum toto requirens corde. litteris instituitur. Cum ad legittimam transisset etatem. genitore cogente cum animi non preberet consensum. sponsali vinculo nectitur. Romanus vero adhuc adolescencior. et ipse ad dei opus animum extendere cupiens. nupcias refutavit. Parentibus relinquentibus seculum hi communi consensu heremum concupiscit. et accedentes simul inter illa iorensis deserti secreta. que inter burgundiam alamanniamque sita aventice adiacent civitati tabernacula figunt. prostratique solo domino diebus singulis cum psallencium modulamine deprecantur. victum de radicibus querentes herbarum. Sed quoniam livor illius qui de celo dilapsus est. semper insidias humano generi consuevit intendere. contra hos dei servos armatur. hosque per ministros suos a cepto itinere nititur revocare. Nam lapidibus eos urgere demones per dies singulos non desinebant. et quociensque genua ad adorandum dominum deflexisset. statim ymber lapidum super eosdem iacentibus demoniis diruebat. ita ut sepe vulnerati inmensis dolorum cruciatibus torquerentur. Interea etas adhuc inmatura cepit iniurias cottidianas hostis metuere. nec passa diucius sufferre dolores. relinquens heremum ad propria redire deliberat. Sed quid invidia non cogat inimici. Verum ubi relinquentes hoc habitaculum quod expecierant ad villas mansecium sunt regressi. domum cuiusdam pauperis ingrediuntur. Percunctatur mulier de quo itinere milites christi venirent. Respondent non sine confusione se reliquisse heremum. et que eos causa a cepto distulerit opere per ordinem pandunt. At illa ait. Oportuerat vos o viri dei contra insidias diaboli viriliter dimicare. nec formidare eius inimicicias. qui sepius ab amicis dei superatus occubuit. Emulus est enim sanctitatis. dum metuit ne unde ille perfidiabilis corruit. genus humanum fide nobilitatum ascendat. At illi compuncti corde. et seorsum discreti a muliere dixerunt. Ve nobis quia peccavimus in deo. dimittendo propositum nostrum. Ecce nunc a muliere arguimur per ignaviam. et qualis nobis in posterum erit vita. si eam unde astucia inimici expulsi fuimus non repetamus. Tunc armati vexillo crucis. sumptis in manu bacellis regressi sunt heremum. Quibus venientibus iterum eos insidia demonis lapidibus cepit urgere. sed persistentes in oratione obtinuerunt a domino remedia. ut remota temptacione liberi ad illum divinum cultus famulatum expeditique perseverarent. His demumque in oratione vacantibus. ceperunt ad eos turbe fratrum hinc et inde confluere. et audire verbum predicacionis ab eis. Cumque iam beati heremite populis ut diximus publicati fuissent. fecerunt sibi monasterium quod condatiscone vocitare voluerunt.